

istis pro livescant tamen isti. Lectio Operis ipsius titulis Librorum quadratis distincti admodum castigata est, et Codex inter praecipuos habendus.

Ambiunt eum utrinque Membranae Ritualis subparis aevi, e quibus ritum extremae unctionis huc transferre juvat. *Et sic perungant singuli sacerdotes infirmum de oleo sanctificato. facientes cruces in collum et guttur et pectus et inter scapulas et supra V. sensus corporis et in supercilia oculorum et in aures intus et foris et in narium summitatem suae interioris suae exterioris et in labia exterioris et in manu similiter exterioris. id est. de foris. ut maculae quae per V. sensus mentis et corporis fragilitate carnis aliquomodo inhererint. hac medicina spiritali et domini misericordia pellantur. De Pedibus et Renibus nihil.*

CCLVII.

R. 11 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 88. f. maj. per duas columnas luculente exaratus, rubricisque distinctus hoc primum gaudet titulo: *Incipit epistola clementis ad iacobum fratrem domini de obitu apostoli petri. et de ordinatione sua. in qua omnis regula ecclesiastica continetur. quam ruphinus ejusdem clementis interpres in antelata praefatione ideo se dixit eius historiis non preposuisse. quod olim eam interpretatus sit.* Vides, rem esse de Pseudoclementis Libris Recognitionum. a Rufino Torano sive Turanio Presb. Aquilejensi

latina civitate donatis, quos editos habes a *Job. Bapt. Cotelario inter PP. Apostolicos Vol. I. edit. Cleric. 1698. p. 485. f. Antelatae Praefationi imprudens Librarius noster praemittit: Clemens iacobo. domino et episcopo episcoporum. regenti ebreorum sanctam ecclesiam in iherosolimis, ut adeo Praefatio haec, quae Rufini est, et incipit: Tibi quidem papa gaudenti. nostrorum decus insigne doctorum &c. ab ignaris credi possit, ipsius esse Clementis. Sunt porro in hac Praefatione praeter lectionis varietatem jam ab Editoribus adnotatam quaedam, quae subicere visum est. Ita pro tanta Spiritus gratia Codex habet tanta uigoris gratia, pro civium vultus Codex civium amor, pro duas editiones haberi Codex duas sectiones &c. Praefationem jam excipit Elenchus Capitulum Libri I. Recognitionum, quae sunt numero XVII. Ejusmodi Elenchos Libri reliqui non habent, quorum etiam Tituli inter Tertium et Sextum titubant. Opus tamen integrum est, hocque clauditur epiphonemate: *Explicit liber. X. Beati Clementis pape urbis Rome.* Lectio aut cum Editis consentit, aut his est inferior.*

II. fol. 80. p. 2. continuo sequitur: *Epistola clementis ad iacobum apostolum De passione apostolorum Petri et Pauli.* Incipit ex abrupto: *Domini et Salvatoris nostri ihesu christi per omnium crederet mentes & per dies singulos religionis propagarentur augmenta &c.* Itaque praeponendum fortasse: *Cum fides.* Tantum vero abest,

est, ut sit Clementis haec Epistola, ut potius historica sit ex *Abdia*, *Clemente*, *Marcello*, *Lino*, *Philone* confarcinatio de *Simone Mago*, *Petri Adventu Romam*, *Marci Evangelio*, *Philonis in Aegypto Institutis*, et *Actis Pauli Romanis*. Nec satis; sequitur enim

III. fol. 82. *Item epistola clementis ad eundem iacobum apostolum de eorundem passione*. Initium: *Clemens vero cum Iudeorum bello romani exercitus ualidam manum cognouisset &c.* Eadem crambe. *Multa verbis ipsis Abdiae*. Finis: *Alter cruce. alter gladio necati sunt. Regnante d. n. i. christo qui uiuit et regnat &c.* ut Homiliam concludi putes. Non reperi haec *Acta* apud *Fabricium* in *Cod. Apocr. N. T.* quae fortasse partem olim vetusti *Lectionarii* constituebant.

IV. fol. 83. *Epistola clementis ad Iacobum*. Paulo verius. Initium: *Clemens Iacobo domino &c.* *Notum tibi facio domine. quia symon petrus. qui uere dei (fidei) merito &c.* Ex interpretatione *Rufini*, ut apud *Cotelerium* cit. p. 611. Exemplum *Editis* corruptius.

V. fol. 86. p. 2. *Epistola clementis ad iacobum*. Initium: *Clemens Iacobo Karissimo: Quoniam sicut a Petro accepimus omnium apostolorum patre &c.* Est haec inter famosas *Isidori Mercatoris De-*

cretales II. non tamen in *Codice* integra; ut patet ex edit. *Dav. Blondelli*, *Genevae* 1628. p. 60. 4. ubi inscribitur: *De sacratis Vestibus vel Vasis*, non sat apte; multa enim alia praecipuntur de *Corpore Domini*, de *Vita Clericorum* &c. *Noster* non parum ab *Editis* variat. Ita legas: *nostro ex ordine docuit instruere pro: te ex ordine nos decet instruere*. Item: *cum timore et tremore reliquias corporis domini pro: cum timore et tremore clericorum reliquias fragmentorum corporis domini*. Item *grauioris anathematis percussus preiudicio pro: graui anathemate*. Item *tanta in sacrario pro: in altario*. Item *clericorum cautela et diligentia pro: clericorum diligentia*. Item *ne videantur sanctae porcioni eos cybos commiscere pro: ne putent sanctae portioni commisceri cibum &c.* Post verba: *qui onus graue ordinatori adducant*, incipit *turbari Codex*, multisque omissis ita terminatur: *Qui autem te non audierit. immo deum loquentem per te ipse dampnationem accipiet.*

Fol. ult. nitidior manus addidit *Sequentiam* de *S. Laurentio*, de *S. Maria*, et *Profam de apostolis et de euangelistis* notis musicis instructas. Quae media est, facilitate sua se multum commendat; ita enim orditur:

Salue mater saluatoris,
Uas electum, uas honoris,
Uas celestis gratiae,

Ab eterno uas prouisum,
Uas insigne, uas incisum
Manu sapientiae.

Salue

Salve uerbi sacra parens,
Flos de spina spina carens,
Flos spineti gloria.

CCLVIII.

R. 3258 Codex membraneus lat. Sec. cum XI. tum XII. Folior. 189. f. eleganter scriptus, coloribusque illustratus exhibet I. Origenis *Adam. Homilias XXVIII. in Librum Numerorum*, manu Sec. prioris, e versione Rufini, et cum huius Praefatione, licet ambigue praescripta sit *Praefatio Origenis*. Hanc Elenchus excipit, qui non nisi XXVII. numerat *Homilias*, cuius ratio est, quod in Opere ipso ultimae duae in unam contractae sunt. Itaque nihil prorsus in Codice deest. Titulus Operis: *Incipit Expositio Origenis In Librum Numeri*. Initium: *Diuinis numeris non omnes digni sunt &c.* Textus collatus cum Edit. Maur. T. II. Paris. 1733. p. 275. f. utcumque castigatus est, imo habet, quae tacitus praeterire nequeo. Rufini Praefationem Ruæus editor inscripsit ad *Ursacium*, legit enim in decursu: *te quoque ipso in quam plurimis iuuante, Ursaci, nostrum laborem, dum nimis cupidus pueruli notarii tardum putas esse ministerium. Ast ego lego: te quoque ipso in quam plurimis iuuante ursacii nostri laborem. dum nimis cupidus es, pueruli &c.* Ut igitur *Ursacius pueruli Notarii* nomen, Praefatio vero ad *Donatum*, quem in principio adpellat, directae esse videatur. Praeterea paene

*Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu spina nescia. &c.*

malim, quod *Italiae solum Siculo dirimit pro ubi — dirimitur*, item *sensus alienos captare pro aptare*, item *explanationum libris pro explicationum*, et *fructum in profectu legentium ponat pro in profectum promat*. Dein *Homil. I. mulieres educuntur pro deducantur*, item *uirtus israelitica pro uirtus in Israelita*, item *Innumerati enim apud Salomonem pro Innumeri &c.*

II. fol. 136. manu Sec. XII. *Incipit prologus hieronimi presbyteri in expositionem ecclesiasticis*. Ita nempe: *Memini me ante hoc ferme quinquennium &c.* Ut edit. Vallars. T. III. col. 381. cui Codex noster cum primis consentit. Noto tamen in Operis ingressu legi *prophetiam Christi et ecclesie continentes pro ad prophetiam Christi et ecclesiae pertinentes*, dein pro *Logica vel Theorica haberi Theologiam*, item pro *regni proprii merito vindicatur vel indicatur vel iudicatur auctoritas scriptum esse regni proprii metropolis uendicatur auctoritas*. Non absone, si *to metropolis gignendi casu sumatur*; dixerat enim paullo ante *Hieronymus de Metropolitibus, hoc est, habitatoribus Ierusalem &c.*

CCLIX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3063 XII. Folior. 131. f. per duas columnas eleganter exaratus, minio distin-